

cas tunc ipse perferre potuit, quia continuo dum proficisci disponit, episcopatus sarcina detentus, ac deinde in brevi defunctus est, etiam nunc mittere volui: ut scias in tua colloquia quam olim inardescam, et quam vim patiar, quod a me tam longe absunt sensus corporis tui, per quos adire possit ad animum tuum animus meus, mi frater dulcissime, et in Domini membris honorande.

In hac autem epistola hoc addo, quod postea didicimus, Job ex Hebraeo a te interpretatum, cum jam quamdam haberemus interpretationem tuam ejusdem Prophetæ ex graeco eloquio versam in latinum; ubi tamen asteriscis notasti quæ in hebraeo sunt, et in graeco desunt; obeliscis autem quæ in graeco inveniuntur, et in hebraeo non sunt, tam mirabili diligentia, ut quibusdam in locis ad verba singula, singulas stellas videamus, significantes eandem verba esse in hebraeo, in graeco autem non esse. Porro in hac posteriore interpretatione, quæ versa est ex hebraeo, non eadem verborum fides occurrit, nec parum turbat cogitantem, vel cur in illa prima tanta diligentia figantur asterisci, ut minimas etiam particulas orationis indicent deesse codicibus graecis, quæ sunt in hebraeis; vel cur in hac altera, quæ ex hebraeis est, negligentius hoc curatum sit, ut hæc eadem particulae locis suis invenirentur. Aliquid inde, exempli gratia, volui ponere: sed mihi ad horam codex defuit, qui ex hebraeo est. Verumtamen quia prævolas ingenio, non solum quod dixerim, verum etiam quid dicere voluerim, satis, ut opinor, intelligis, ut causâ reddita, quod movet edisseras.

Ego sane te mallem graecas potius canonicas nobis interpretari Scripturas, quæ Septuaginta interpretum perhibentur. Perdurum erit enim, si tua interpretatio per multas ecclesias frequentius coeperit lectitari, quod a graecis ecclesiis latinae ecclesiae dissonabunt, maxime quia facile contradictor convincitur graeco prolato libro, id est linguae notissimæ. Quisquis autem in eo, quod ex hebraeo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, et falsi crimen intenderit; vix aut numquam ad hebraea testimonia pervenietur, quibus defendatur objectum. Quod si etiam perventum fuerit, tot latinas et graecas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit, quia etiam consulti Hebraei possunt aliud respondere: ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere; sed tamen quo iudice mirum si potueris invenire.